



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres**

**Schevichavius, Gisbertus**

**Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.**

Capvt X. Beneficus & largus sit vir Ecclesiasticus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42349**

nis curam se demittere, Quid est, ait c. 7. v. 17. homo? Quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Et c. 42. v. 5. & 6. Auditu auris audiuit te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago poenitentiam in favilla & cinere. Septuaginta Interpretes hoc loco habent: Propterea desepi meipsum, & putavi me terram & cinerem. 7. David interminatam Dei Maiestatem, cum extrema hominis ignobilitate & miseria componens exclamat Psal. 8. v. 5. Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Et Psalm. 143. v. 3. 4. Domine, quid est homo, quia involuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra praterunt. 8. Isaias conspecto Domino, quantum fas est videri ab homine mortali, cap. 6. vers. 5. Va, inquit, mihi, quia tacui, quia vir pollutis labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis. 9. Deipara Virginis ingenua confessio est, Lucæ 1. vers. 48. Respexit humilitatem ancilla sua: quia vt ex naturæ conditione nihil, ita ex Dei donis præcellentiſſima. 10. S. Joannes Baptista, Marci 1. vers. 7. Venit fortior post me, cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamenti eius. 11. S. Petrus præsentia Domini indignum se iudicans. Exi, inquit Lucæ 5. vers. 8. à me Domine: quia homo peccator sum. Ex quibus liquido constat, sanctissimos etiam viros, cum in naturæ suæ angustias, & diuinæ præstantiæ infinitatem, mentis oculis intenderent, se abiectissimos, & contemptissimos agnouisse semper, & ingenue confessos esse.

Liberalitas Clericis præcepta.

CAPVT X.

Beneficus & largus sit vir Ecclesiasticus.

Liberalitas cupiditatis pecuniæ, rerumque pecunia estimabilium & parabilium moderatrix, caritatemque, cum vsus & ratio exierit, lubens ac beneuola

Quid liberalitas.

M m 2 largi-



largitrix, prompte ac frequenter Ecclesiastico viro  
 surpanda: siquidem Apostolus, qui hominem avarum  
 inhumanum, sordidum ex Clericorum ordine & clas-  
 se submouet, 1. *Timoth. 3. v. 3. Tit. 1. v. 7.* absque dubio li-  
 beralem ac beneficentem exposcit. 2. Sed & quærit hospi-  
 talem, 1. *Timoth. 3. v. 2. Tit. 1. v. 8.* qui cupidus sit amantem  
 hospitum & peregrinorum, vt illos domo excipiat,  
 tractet, foueat, ac multo magis qui vicinis ciuibusque  
 suis indigentibus benignè facere velit. 3. Qua voce vt  
 sit benignus, etiam vtitur Tit. 1. v. 4. hoc est, qui bono-  
 rum rerum & hominum sit amans & studiosus, vtilis  
 & semper bene velit, & pro facultate bene faciat, dili-  
 gatque opere & veritate, 1. *Ioan. 3. versic. 18.* Optima vniuersa  
 præcepta Timotheo tradidit Apostolus, sed ita tradi-  
 dit, vt egregium eorundem specimen daret. At quid  
 Timotheo iniungit? Diuitibus, inquit 1. ep. cap. 6. v. 17.  
 18. 19. *huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare  
 in merito diuitiarum, sed in Deo viuo [qui præstat nobis omnia  
 ad fruendum] bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facili-  
 buere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum  
 in futurum, vt apprehendant vitam æternam.* Hoc ergo  
 multo magis Timotheo sacerdotibusque ac Clericis  
 præstandum. 5. Ephesinæ etiam Ecclesiæ presbitero  
 dixit *Act. 20. v. 33.* Oportet meminisse verbi Domini Iesu  
 nam ipse dixit] *Beatius est magis dare quam accipere.* Nam  
 cui tribuitur, is accipit munus temporale, qui tribuit,  
 recipit donum spiritale & ecclēste. Vnde quod ait Ap-  
 ostolus 2. *Corint. 9. v. 10.* *Augebit incrementa frugum in terra  
 vestra, interpretatur ibi Theophylactus; Dabit Deus  
 hic incrementa iustitiæ, & gloriæ in cælo. Non pro-  
 recta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta sunt.*  
*Ecclesiast. cap. 4. v. 36.* 6. Eandem beneficentiam & Sal-  
 uator exigit à suis discipulis *Matth. 5. v. 44.* *Diligite in-  
 micos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Et Mat. 24. v. 44.*  
*46. Beatus ille seruus, qui Christi familie dat cibum in tempore*



à Domino super omnia bona constituendus. Luca 6. v. 30. Omnis petenti te tribue. D. Polycarpus Episcopus, Martyr, ac S. Ioan. Apostoli discipulus epistola ad Philippenf. Presbyteri, ait. simplices sunt in omnes, in omnibus misericordes, omnes ab errore conuertentes, infirmos visitantes, viduas, pupillos, pauperes non negligentes.

## Quæ liberalitatis natura.

### CAPVT XI.

#### MAGNA VOLVNTATE LARGIAN- tur Ecclesiastici.

**H**Æc liberalitas, & omnis virtus inter duo extrema posita est, tenacitatem & prodigalitatem, de quibus S. Hier. lib. 16. comment. in Isaia cap. 57. Liberalitas, inquit, & dispensatio virtus maxima est, & via regia, à qua declinat ad dexteram qui parcus est, & non solum aliis, sed ne sibi quidem tribuit, quod necesse est. Ad sinistram, qui comedit substantiam suam cum meretricibus, Luca 15. & dicit cum Iſrahel Isa. 22. v. 13. Manducemus & bibamus, et as enim moriemur.

§. Liberalitas beneuolentia constat & beneficentia, vt nimirum libenter simul ac prolixè largiaris. Isa. 58. Quum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris. 70. Si dederis esurienti panem tuum ex animo tuo, & animam humiliatam saturaueris. Vbi S. Hier. Esurienti denus nō tantum panem nostrum, sed animam nostram, vt enim in quibuscumque pressuris adiuuemus; & non quasi ex tristitia & necessitate, sed ex animo tribuamus: accipientes magis quam dantes beneficium. Nam vt dicit Apostolus 2. Cor. 8. v. 10. 1. Non tantum facere sed & velle cepistis ab anno priore: Perfectorum vtrumque est, ait S. Ambros. li. 10. c. 1. effic. cap. 30. non pars. Itaque docet & liberalitatem sine beneuolen-